



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Thomæ Comptoni Carleton, Cantabrigiensis,
Societatis Jesu, In Collegio Anglicano Leodiensi Sacrae
Theologiae Professoris, Cursus Philosophicus Universus**

Carleton, Thomas Compton

Antverpiæ, M.DC.XCVII.

Disputat. V. De potentia Materiae ad formas, & Ordine Transcendentali.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95656](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95656)

sus à visione, materia seu corpus vivens ab animâ rationali: subjecta tamen è contrâ non tribuunt denominationem formis eorum quæ in se continent, sic enim visio coloris nec colorata à colore, nec alba dicitur ab albedine, sicut nec anima rationalis mortua à materiâ.

VII. Solum notandum, id quod est forma respectu unius, posse esse subjectum respectu alterius, anima ex. g. quæ respectu materiæ primæ seu corporis est for-

ma, respectu intellectûs & voluntatis, si distinguatur, & respectu suorum actuum est subjectum. Sic quantitas respectu materiæ est forma, respectu albedinis & aliorum accidentium materialium dici communiter solet subjectum, & sic de aliis. Hæc de ratione subjecti in præsentî sufficiant, postea enim cum de unione, iterum de eâ necessariò recurret sermo.

potest esse
subjectum
respectu al-
terius.

DISPUTATIO V.

De potentiâ Materia ad formas, & de Ordine Transcendentali.

SECTIO PRIMA.

An in creatis reperiaturs ordo transcendentis unius rei ad aliam.

Quid sit
ordo trans-
cendentalis.

UT clarius procedamus, suppono ordinem seu relationem transcendentalem nihil aliud esse, quàm ipsam rei entitatem, quæ per se essentialiter habet connexionem cum alia, ita ut si illud aliud redderetur impossibile, hoc similiter necessariò in Chimæram abiret, & pariter fieret impossibile.

II. Prima sententia negat relationem transcendentalem in creatis.

Recentiores aliqui non indocti, nec malè de re Philosophicâ meriti, ita philosophantur, ut & causam efficientem ab omni huiusmodi connexionem cum effectu, & materiam à connexionem essentiali cum formâ eximant, unde relationem hanc transcendentalem à rebus creatis tollunt, nullamque omnino rem esse aiunt, quæ reliquis etiam omnibus implicantibus, non remaneret possibilis, & eandem quam modò habet, entitatem integram retineret. Ita inter alios P. Oviedo, Controv. 10 Met. p. 4 n. 5.

III. Communis Philosophorum sententia concedit.

Contraria sententia, ut fatetur Oviedo numer. 2. est communis Philosophorum, quam variis locis tradit S. Thomas. Ex Recentioribus eam sequitur P. Suarez d. 47. Met. l. 5. num. 11. & sequen. Hurt. d. 8. Phys. nu. 26. asserens hunc sensum cum ipsâ Philosophiâ esse natum. Arriaga d. 7. Phys. l. 2. n. 12. & alij passim.

IV. Quadam in rebus creatis existere sine aliis connaturaliter non possunt.

Prima Conclusio: Datur inter res creatas exigentia connaturalis, ita ut ex iis nonnullæ sine aliis quibusdam existere connaturaliter non possint. Probatur, à qua frigus connaturaliter postulat tanquam debitum sibi temperamentum, terra siccitatem, homo potentiam visivam, & alios sensus, aqua tamen frequenter sine frigore reperitur, terra sine siccitate, homo sine visu.

V. Quadam sine aliis existere omnino nequeunt naturaliter.

Secunda Conclusio: major adhuc datur in rebus creatis exigentia, ita nimirum, ut sine quibusdam aliis existere omnino naturaliter non possint. Hoc modo accidens, & forma omnis materialis pendet à subjecto, actus vitalis à potentiâ, species & visio ab objecto, & alia huiusmodi. Hoc etiam modo duæ partes minimi naturalis ita à se invicem in eadem pendunt, ut neutra sine alterâ existere naturaliter possit.

VI. Quadam sine aliis existere nequeunt divinitus.

Tertia Conclusio: In rebus creatis quoad actua-lem existentiam datur inter quasdam dependentia etiam essentialis, ita ut nec divinitus sine iis existere valeant. Hac ratione actio dependet ab agente, unio ab extremis, & modus omnis à subjecto suo vel ter-

mino. Hoc etiam modo res quævis creata, ut ignis, lux, calor, ut existant petunt causam aliquam creatam, vel increatam, sine aliquâ enim non magis existere possunt, quàm unio sine extremis.

Quarta Conclusio: datur inter res creatas dependentia & connexio essentialis etiam quoad possibilitatem, quâ ita aliarum possibilitatem exigunt, ut his implicantibus, illæ similiter implicarent. Ita autem secunda sententia.

Probatur primò, Materia prima est essentialiter ens incompletum, & hoc est illi prædicatum intrinsecum, nec magis ab eâ separabile quàm esse ens, ergo essentialiter petit formas esse possibiles, à quibus compleri possit, ergo essentialiter dicit respectum ad possibilitatem formarum, si enim illæ redderentur impossibiles, periret hoc prædicatum in materiâ, uno autem prædicato ejus percunte, materia tota pereat necesse est, ergo.

Probatur secundò, accidens est essentialiter ens in alio seu ens in ut Philosophi omnes fatentur, ergo petit essentialiter esse subjectum possibile cui inesse possit. Sicut quia tam accidens, quàm alia res creata quæcunque est ens ab alio, petit essentialiter causam aliquam esse illius productionis, saltem Deum, sed non minus de conceptu intrinseco accidentis est, quòd sit ens in alio, quàm ens ab alio, ergo. Confirmatur, actio generativa essentialiter petit subjectum, nam idem est actio generativa, atque educitiva è subjecto, hæc enim est illius essentia, ergo si subjectum reddatur impossibile, perit essentia huius actionis, ergo eadem operâ actio redditur impossibilis, ergo pendet essentialiter à possibilitate subjecti.

Probatur tertio, hominis essentia est, ut sit animal rationale, seu principium sentiendi & ratiocinandi, actio- num scilicet sensuum & intellectûs, ergo quàm certum est quòd sit homo, tam certum est petere ut sint possibiles operationes intellectuales & sensitivæ, si enim omnes redderentur impossibiles, esse illarum principium non posset, cum nihil possit esse principium Chimære.

Dices; hæc omnia arguere potentiam solum conditionatam, nempe materiam posse recipere formas, & hominem huiusmodi actiones producere si sint possibiles. Contrâ primò, nam saltem de actione generativâ dici hoc non potest, cum essentialiter sit educio ex subjecto, ergo essentialiter requirit subjectum, ergo hoc implicante, implicabit necessariò & actio. Contrâ secundò, Angelus videns materiam, nullâ etiam visâ formâ, videt eam esse ens incompletum & compartem, cum videat illam comprehensivè, ergo videt eam essentialiter petere formas, seu compartes aliquas esse possibiles.

Contrâ tertio, nihil enim dicere potest potentiam

VII. Datur inter res creatas relatio transcendentalis.

VIII. Probatur, nam materia est essentialiter ens incompletum.

IX. Secundò probatur, nam accidens est essentialiter ens in alio.

X. Tertiò probatur ex definitione, & naturâ hominis.

XI. Nec ab hoc sufficit potentia conditionata.

XII. seu

*Nihil dicitur
re potest re-
spectum
conditiona-
tum ad id
ad quod non
potest dicitur
re absolu-
tum.*

seu respectum conditionatum ad id, ad quod nunquam dicere poterit absolutum, ut latius dicam d. seq. sect. 3. dum de respectu transcendentali Dei ad creaturas. Conf. hac de causa nullus, ne ipsi quidem adversarii ponunt in luce vim conditionatam productivam soni, aut in aquila similem virtutem productivam columbæ, quam tamen juxta hunc philosophandi modum ponere in iis possent, si enim esset sonus aliquis possibilis qui produci posset à luce, lux eam posset producere, cum hæc sint correlativa, ergo jam æquæ habet lux potentiam conditionatam ad talem sonum, & aquila ad ejusmodi columbam, ac haberet materia ad formam leonis, posito quod leo redderetur impossibilis, eodem enim tunc loco esset eum sono illo & columbæ. Contrà quartò, materia de facto non respicit conditionatè formas quæ jam sunt impossibiles, ergo si omnes essent impossibiles, nullas respiceret conditionatè.

*XIII.
Si datur in
falsum re-
spectum con-
ditionatus
sequitur
quodlibet
ess. conditiona-
tum quid-
libet.*

Contrà quintò, hinc enim sequi videtur, quidlibet conditionatè esse quodlibet: quidni enim dici posset hominem esse conditionatè principium hincipiendi, aut rugiendi, vitæ habere conditionatè virtutem producendi rosas, posito scilicet quod rosæ essent possibiles quæ à vite produci possent, & sic de cæteris? certè æquè modò sunt principia horum productiva, ac esset homo principium productivum actionum sensitivarum, aut materia formarum susceptiva, posito quod formæ omnes & actiones sensitivæ implicarent, nec enim modo implicant magis rosæ illæ, quam tunc actiones sensitivæ implicarent & formæ substantiales.

*XIV.
Sicut An-
gelus petit
essentialiter
negationem
comparis,
ita anima
petit com-
paritatem.*

Probatur conclusio quartò, & præcipuè: Angelus essentialiter est completus, & hoc nomine petit essentialiter negationem comparis aptæ cum ipso, ad totum aliquod substantiale constituendum, & hoc est de intrinseco conceptu entis completi, ergo cum anima rationalis sit ens essentialiter incompletum, & secundum omnes, in hoc ipso conceptu essentialiter diversa ab Angelo, petit essentialiter comparitatem esse possibilem, quicum totum seu compositum substantiale constituat: unde sicut Angelus dicit essentialitè connexionem cum negatione & impossibilitate talis comparis, ita ut si talis comparis esset possibilis, Angelus mutaret essentialitè; ita anima rationalis è contrario essentialitè habet connexionem cum possibilitate talis comparis, & æquè implicaret, illa implicante, atque implicaret Angelus implicante illius negatione.

*XV.
Inter cau-
sam etiam
& effectum
reperitur ef-
fentialis hæc
dependen-
tia.*

Quod de materia dixi respectu formarum, idem etiam est in formis respectu materiæ, & in causâ respectu effectus, implicante enim effectum, non minus implicaret causâ, quam implicante formâ, materia: quamvis connexio hæc & essentialis dependentia clarius in entibus incompletis cernatur.

SECTIO II.

*Solvuntur argumenta contententia, non dari
relationem transcendentalem in
rebus creatis.*

*I.
Conditiones
extrinsecas
universim
negari non
possunt.*

O Bjicit P. Oviedo primò; non posse virtutem physicam dependere à re, quæ omnino non existit, ergo nec causa, nec materia effectum vel formam possibilem exigere essentialitè potest, cum quod merè possibile est, nihil sit, Resp. sicut conditiones extrinsecas passim non existimo admitteudas, ita eas universim rejicere, planè arbitror impossibile. Sic æternitatem à parte antè, ut ita dicam, effluxisse, conditio est secundum multos, ut infinita vis

R. P. Th. Comptoni Philosophia.

operativa Dei ad extra prodire in opus possit, & creaturam ullam producere, Sic fuisse in spatio A est conditio ut lapis cadens, vel animal quodcumque se movens, occupet locum proximum, cum in nullâ re corporea (licet id aliqui concedant Angelis) motus discretus dari naturaliter possit.

Sic, ut alia omittam, ut Angelus secreta cordium, & actus aliorum liberos cognoscat, requiritur consensus hominis vel Angeli actus illos elicientis, qui tamen consensus non loco tantum, sed etiam tempore ab Angelo cognoscente subinde distat, ut si jam in instante A dicat Angelus aliquis volo ut Angelus talis actus omnes meos liberos cognoscat quos per horam hanc eliciam, & statim actu cesset. Hoc exemplum, si plenè declaratur, arbitror ad hanc rem efficacissimum, at ulterior ejus explicatio non est præsentis loci, sed spectat ad primam partem, ubi in materiâ de Angelis, d. 5. f. 1. illud declaravi, multis in hoc ipsum argumentum de conditione extrinsecâ ibidem adductis. Ad objectionem itaque respondeo, virtutem physicam activam dependere à conditione extrinsecâ, eaque subinde non existente, posse, non quidem tanquam ab influente, sed tanquam à puro termino. Id verò hic necessariò est admittendum ob rationes sec. præcedente allatas. De quo iterum d. 8. f. 4. n. 4.

Objicit idem secundò; causa non pendet ab existentia effectus, ergo nec à possibilitate. Probat consequentiam, possibilitas rei & existentia non distinguuntur, ergo. Simile conficiam argumentum, prædicata possibilitas seu res possibilis, ignis ex. g. non potest operari nec quidquam producere, ergo nec res existens. Probo consequentiam, res existens & possibilis non distinguuntur. Resp. itaque, sicut hic, licet eadem utrobique sint prædicata objectiva, ratione tamen diversis statibus possunt res in uno statu ab iis pendere physicè, licet non possint ab iisdem pendere ut in alio, & illa etiam prædicata in uno statu operari, non in alio; ita dico, in uno statu esse possunt prædicata illa terminus existentie essentialis, licet non sint illius terminus in alio. Adde exigere existentiam illius possibilem.

Ratio autem est, quia in cælo, igne, calore, & similibus nullum est prædicatum quod exigit essentialitè actualem alterius rei existentiam, est tamen quod exigit possibilitatem, ut ostendi sec. præcedente, materia enim, seu quid aptum recipere aliud, essentialitè petit ut si aliquid quod possit recipi, sit aptum producere postulat essentialitè ut sit aliquid aptum produci. Adde in modis, quos admittit P. Oviedo, dari entitates quæ pendunt ab actuali existentia aliarum rerum, eaque essentialitè exigunt, ergo modò saltem possunt pendere à prædicatis earundem rerum possibilibus, cum pendeant ab existentibus.

Objicit tertio; non repugnat ejusmodi virtus productiva creata, quæ implicante etiam effectum, subsistat, ergo gratis ponitur connexio hæc fatalis inter res creatas, ita ut una reddita impossibilis aliam in eandem secum interconexionem trahat. Resp. quamvis hic modus argumentandi plerumque esse soleat inefficax, negando antecedens ob rationes sec. præcedente positas.

Objiciunt quartò recentiores quidam; si respectus materiæ ad formam non statuatur absolutus & adæquatè intrinsecus, sed conditionatus, & partim intrinsecus partim extrinsecus, omnia abundè salvantur quæ respectui materiæ ad formam tribui à Philosophis solent, ergo non est cur statuatur absolutus. Resp. negando antecedens, imò respectus ille conditionatus est planè impossibilis, ut ostendi sec. præcedente.

T 2

Objiciunt

*II.
Ostenditur
hoc ulterius
in Angelo
secreta cor-
dium cog-
noscente.*

*Quomodo
virtus phy-
sica pendere
possit à re
non existen-
te.*

*III.
Licet una
res non exi-
gat existen-
tiam alterius
us, potest
exigere illius
possibilitatem.*

*IV.
Ratio est
quia nul-
lum est præ-
dicatum
quod exigit
actualem
illius exi-
stentiam.*

*V.
Implicat
virtus effec-
tiva ter-
mini impos-
sibilis.*

*VI.
Implicat
virtus operati-
va causam
conditionatam.*

VII.
Idem me-
diatè potest
respicere
seipsum.

Obijcitur quintò; sequeretur causam saltem me-
diatè respicere seipsum, respicit enim effectum, qui
vicissim respicit causam. Resp. nihil in hoc esse in-
commodi, ut constat in Divinis; ubi Pater respicit
Filium, qui vicissim respicit Patrem.

VIII.

Obijcitur sextò; cognosci potest entitas causæ
quin cognoscatur relata ad effectum, ergo nullam
dicit ad eam relationem. Distinguo antecedens, co-
gnosci potest causa perfectè & adæquatè quin co-
gnoscatur relata ad effectum, nego antecedens; im-
perfectè & inadæquatè, concedo.

IX.

Obij. ignis
dicitur actu
agens per ac-
tionem a-
ctualiter, ergo
potens a-
gere per ac-
tionem pos-
sibilem.

Obijcitur septimò; Causa, ignis v.g. denominatur
actu agens per actionem actualem, ergo denomina-
tur potens agere per actionem possibilem, ergo non
denominatur potens agere per virtutem sibi intrinse-
cam; ergo non dicit huiusmodi respectum essen-
tialiter ad effectum. Contrà primò, saltem actio di-
citur essentialiter respectum ad effectum actualem &
possibilem, ergo omnis relatio transcendentalis tol-
li è rebus creatis non potest. Contrà secundò, cau-
sa non tantum respicit effectum, sed etiam actionem;
hæc namque non minus verè procedit à causâ, quam
effectus, ad quem terminatur, non enim est à se, sed
ab alio, ergo ad illam saltem datur respectus transcen-
dentalis in causâ, & consequenter dependentia essen-
tialis ab illius possibilitate.

X.

Resp. per ac-
tionem de-
nominatur
logicè potens
agere.

Ad argumentum ergo Resp. distinguendo conse-
quens, denominatur potens logicè, ut aiunt, seu non
repugnans agere per actionem possibilem, concedo
consequentiam; denominatur physicè potens agere
per actionem possibilem, nego: denominatur enim
physicè potens agere per suam entitatem physicam;
quæ est virtus physica agendi; actio autem possibilis
solum est non repugnantia ad agendum.

XI.

Differentia
inter actio-
nem logicè
& physicè
possibilem.

Dico itaque causam per actionem logicè possibi-
lem, seu per prædicata essentialia actionis in statu
possibilitatis denominari logicè potentem; seu non
repugnantem agere, per actionem autem possibilem
physicè, seu in potentia physicâ denominatur causa
potens agere physicè, actio verò possibilis physicè,
seu in potentia physicâ, nihil est aliud quam virtus
physica productiva actionis, seu entitas causæ, quæ
eodem respectu refertur ad actionem & effectum, ad
illam ut ad viam, seu ut quo, ad hunc ut ad termi-
num, seu ut quod, sicque indivisibiliter refertur ad ut-
rumque.

XII.

Re unâ im-
plicante, im-
plicabunt
omnia.

Obijcitur octavò; hinc sequi, vel unicâ re impli-
cante, ranâ ex. g. vel formicâ, implicaturum totum
universum, eam enim ponimus rerum concatenatio-
nem, ut unâ in Chimæram abeunte, reliquis om-
nes in Chimæras transire necesse sit: si enim ranâ
implicet, implicabit visio intuitiva, quâ Angelus vel
anima separata illam videt, si anima implicet, impli-
cabit materia, si materia, implicabunt formæ omnes
materiales, totumque adeo universum. Resp. tan-
tum abesse ut hoc quidquam in se habeat incommo-
di, ut maximam arguet perfectionem in universo,
ubi omnia tam arcto inter se vinculo ac veluti fœdere
connechtuntur.

XIII.

Angelus
rem aliquâ
videns so-
lum videbit
eam cum aliis
omnibus
habere con-
nexionem.

Obijcitur nonò; hinc sequi, Angelum, si intuiti-
vè videat rem aliquam, visurum ipso facto omnes,
cum necessariam habeat cum reliquis omnibus con-
nexionem. Nego sequelam, solum enim videbit rem
illam cum aliis omnibus habere connexionem. Si-
cut beato videndo omnipotentiam Dei, vident eam
esse virtutem rerum omnium productricem, quæ il-
læ in particulari sint, non vident. Dices, saltem si
rem unam comprehendat, eadem operâ compre-
hendet res omnes posibles. Distinguo, si compre-
hendet comprehensione perfectissimâ, transeat; hæc
autem nullæ creaturæ competit: si comprehensione
solum vulgari eam comprehendat, nego: de quo

plura in libris de Animâ, dum de naturâ compre-
hensionis.

SECTIO III.

*Inquiruntur quedam circa relationem trans-
cendentalem inter res creatas.*

Quæres primò, utrum sicut in rebus physicis
diximus dari ordinem transcendentalem, &
essentialium unius ab alio dependentiam, ita detur
idem ordo & dependentia in intentionalibus? Resp.
affirmativè, ut ostendi in Logica d. 44. f. 5. unde sicut
implicante materiâ, implicaret forma, ita implican-
te luce & colore, implicaret visio, implicante sole,
implicaret cognitio repræsentativa solis, & sic de al-
liis. Ratio est, quia essentia visionis lucis est ut sit re-
præsentativa lucis, ergo si lux implicaret, periret hoc
prædicatum visionis, & consequenter tota visio. Quod
si quis hæc etiam confugiat ad respectum conditiona-
tum, urgebatur iis omnibus quæ supra sec. 1. à num.
12. contrà respectum conditionatum attuli in phy-
sicis, quæ quivis hæc facillè applicaverit.

Quæres secundò, utrum res realis dicere relatio-
nem transcendentalem possit ad aliquid impossibile? I.
Resp. similiter affirmativè, nec enim minus actus
intellectus repræsentans hippocervum ab illis præ-
dicatis impossibilibus dependet, quam actus repræ-
sentans equum pendet, à prædicatis equi possibili-
bus, vel causâ à prædicatis possiblebus effectus.
Quod de impossibilibus dixi, idem dictum esto de
negationibus.

Dices, etiamsi prædicata illa impossibilia redde-
rentur possible, non apparet cur idem actus repræ-
sentare illa adhuc non possit: potentia enim & actus
intentionalis in objecta, non possible tantum fe-
runtur, sed etiam in impossibilia, in quo differunt à
potentiis physicis, hæc enim cum quidquid respiciunt,
respiciant tanquam quid producendum, ipso facto
quod reddatur aliquid impossibile, respicere illud
ulterius non possunt.

At, qui hoc modo philosophantur, non satis mihi
attendere videntur ad differentiam inter objectum
possible & impossibile, quæ in conceptu suo ob-
jectivo essentialiter differunt, & multò magis quam
albedo & nigredo, leo & equus; impossibile enim,
ut dixi in Logica d. 44. sec. 5. n. 9. essentialiter in-
volvit duo contradictoria, conceptus enim impossi-
bilis est conceptus repugnantis existere, seu secum
identificata habentis prædicata inter se essentialiter
pugnancia; conceptus autem possibilis est conceptus
illius quod potest existere à parte rei, seu quod non
involvit in se prædicata contradictoria, nec concipi
magis possunt possibile & impossibile sine his, quam
paries albus sine albedine.

Iam ergo sicut visio albedinis esse nequit visio ni-
gredinis, quacunque factâ suppositione, nec cogni-
tio hominis cognitio formicæ, vel repræsentatio tra-
gelaphi repræsentatio hippocentauri, ita à fortiori
cognitio rei possibilis non potest ullo modo esse co-
gnitio rei impossibilis, vel è contrâ, cum multo ma-
gis inter se differant quam duæ res possibilis, aut
una res impossibilis ab aliâ, sicque necessariò debe-
ret cognitio illa mutare objectum, & repræsentare
prædicata contradictoria, quæ antè non repræsen-
tabat.

Cognitio ergo quæ semel est repræsentatio obje-
cti impossibilis, est semper illius repræsentatio, si au-
tem fingamus objectum illud reddi possibile, cum
implicet hoc concipere sine mutatione essentiali
prædicatorum, ut ostensum est, non potest idem a-
ctus

ctus objectum illud amplius representare, magis quam actus representans equum potest illum adhuc representare, si fingamus eum reddi leonem, cum actus representans principium ininhibibile representare nequeat principium rugibile.

VII. Quæres tertio, utrum sicut causa pendet essentialiter à possibilitate effectus, ita effectus vicissim essentialiter pendeat à possibilitate causæ? Resp. in rebus univocis non est dubium quin sit mutua hæc dependentia, per accidens enim in ijs est quoddam una sit causa, alia effectus, sicut enim ignis A produxit ignem B, ita ignis B producere potuisset ignem A: & sic de reliquis.

VIII. Idem existimo de causis & effectibus æquivocis, ut de luce respectu solis, calore respectu ignis, & similibus. Sicut enim est prædicatum intrinsecum talis causæ posse producere talem effectum, ita vicissim est prædicatum intrinsecum talis effectus posse produci à tali causâ, & tam peculiariter respicit, non aliam: rosa enim spinam, non myrtum: uvæ vitem non ficum respiciunt, utpote quæ solæ producere eas possunt: quibus proinde implicantibus, uvæ implicabunt, & rosa.

IX. Quæres quarto, an idem referri transcendentaliter possit ad seipsum? Quæro ego vicissim quid requiratur ut censetur aliquid transcendentaliter referri. Si dicas, requiri ut realis intercedat distinctio, facilis est responsio, clarum enim est hoc sensu non posse idem ad se referri, cum à se realiter non distinguatur. Sin verò dicas, distinctionem realem ad hoc non esse necessariam, sed requiri solum ut idem se representet, aut aliquid huiusmodi, idem hoc sensu referri potest ad seipsum; actus enim qui dicit, om-

nis actus intellectus est spiritus, se inter alios actus representat, quamvis modus loquendi quo aliquid ad se dicitur transcendentaliter referri, mihi non adeo videatur proprius.

X. Quæres quinto, qualis sit dependentia causæ ab effectu in esse possibili? Resp. esse tanquam à comitante, licet enim causa quoad actualem existentiam sit prior effectu, & tribuat ei actu existere, in esse tamen possibili æqualiter à se invicem pendet, sicque quoad possibilitatem habent se comitanter.

XI. Quæres sexto, an res naturales relationem etiam transcendentali dicant ad supernaturales, ita ut his implicantibus, illæ similiter implicarent? Negat P. Ripalda Tom. I. de Ente supernaturali, d. 32. l. 2. unde ait, implicante actu quocunque naturali, implicaturam potentiam, implicantibus verò omnibus actibus supernaturalibus non implicaturam.

XII. Existimo nihilominus parem de utrisque estimationem: nec minus implicantibus actibus supernaturalibus, mutatum iri in Chimæras potentias omnes naturales, quam implicantibus actibus naturalibus. Ratio est, quia potentia non minus verè & propriè concurrunt ad actus supernaturales, quam ad naturales, unde hoc prædicatum, posse scilicet producere actum supernaturalem, non est ipsis minus intrinsecum quam posse producere naturalem, estque vera virtus, & quæ competere nequit negationi, aut Chimæra, ergo implicante actu supernaturali, non minus implicaret hoc prædicatum, quam implicante naturali, aliud, ergo similiter implicaret potentia.

DISPUTATIO VI.

De ordine Transcendentali Dei ad creaturas.

SECTIO PRIMA.

An Deus transcendentaliter referatur ad creaturas.

I. Ad vitandam quæstionem de nomine, recolendum quod supra dixi sect. I. n. 1. per relationem scilicet transcendentali intelligere nos connexionem essentiali unius rei cum aliâ, ita ut hæc implicante, illa similiter implicaret. Quærimus itaque an Deus hoc modo cum possibilitate creaturarum connectatur; Suarez enim, Herice, Falsolus l. p. q. 12. a. 8. d. 11. & alij nonnulli, licet ejusmodi connexionem concedant Dei cum creaturis, eum tamen transcendentaliter ad illas referri negant.

II. Prima itaque sententia affirmat dari huiusmodi connexionem essentiali inter Deum & creaturas possibles. Ita Suarez l. p. l. 3. de Attrib. cap. 9. n. 13. & alibi, licet nolit vocari relationem. Herice l. p. d. 5. n. præcipue 48. Tann l. p. d. 4. q. 4. d. 3. Marat. de Deo d. 18. l. 2. Granado l. p. d. 6. d. n. 5. Arria d. 7. Phys. l. 2. n. 20. & alij plurimi ex recentioribus.

III. Secunda sententia connexionem hanc inter Deum & creaturas negat. Ita Vasq. l. p. d. 104. c. præsertim 6. citans Cajet. Capreol. Ferrar. Scotum & alios. Albertin. in Prædicam. ad aliquid, coroll. 2. Alarcon. d. 2. de scien. Dei. Oviedo e. 10. Met. p. 4. n. 11. & omnium acerrime P. Hurtado d. 15. Met. l. 9. n. 104. & ex recentioribus non pauci.

IV. Prima conclusio: nullam argueret imperfectio. R. P. Th. Comptoni Philosophia.

nem in Deo essentialis hæc connexio cum creaturis possibilibus. Probatur primò, imperfectio hæc est, quod creatura per impossibile implicante, definiret Deus, sed nullum est inconveniens quod Deus definiret sub conditione impossibili; ergo. Probatur minor, non est inconveniens quod alia Dei attributa labefactarentur sub conditione impossibili, ergo nec quod sub simili conditione labefactaretur ejus existentia. Antecedens probatur si Deus non daret premium bene operantibus promissum, esset injustus, vel secundum omnes infidelis: si falsum diceret, non esset verax; si mentiretur, peccaret; ergo iustitia Dei, fidelitas, veracitas, & sanctitas labefactarentur sub conditione impossibili; ergo nullum est inconveniens quod sub simili conditione idem contingeret illius existentia. Cujus ratio est, quia cum impossibile sit ut conditio illa (utpote impossibilis) ponatur, æquale est Deus ens necessarium, ac si à conditione illa penitus non dependeret.

Dices, sequitur saltem Deum non esse magis necessarium quam sint necessariae creaturae possibles. Dices, ergo hoc autem parum videtur dignum Deo; cum impossibile omnium maxime impossibile sit non esse Deum. Contra primò, idem argumentum fieri potest de alijs Dei attributis, ut proxime ostensum est.

VI. Contra secundò, si enim sermo sit de formali & propria impossibilitate, mihi probabile videtur impossibile omnia, quæ sunt simpliciter talia, esse æquale impossibilia, sicut omnia falsa sunt æqualiter falsa.